Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36517
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

in helena visitaret. docuit etiam quod mulier ignorabat. et deduxit in viam quam
mortalis scire non poterat. Quesivit clavos quibus crucifixus est dominus et invenit. De uno
clavo frenos fieri precepit. de altero diadema intexuit. unum ad decorem. alterum
ad devotionem vertit. et utrumque filio suo constantino misit. Visitata est maria ut
evam liberaret. visitata est helena ut imperatores liberarent. Misit itaque filio suo consta-
tino diadema gemmis insignitum. quas pretiosior ferro innexas crucis redemp-
tionis divine gemma connecteret. Misit et frenum. Utroque usus est constantinus et
fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium imperatorum sanctum est quod super
frenum. ex illo fides. ut persecutio cessaret. devotio succederet. Sapienter helena
egit. que crucem in capite regum levavit. et locavit. ut crux christi in regibus adore-
tur. Non insolentia ista sed pietas est. cum defertur sacre redemptioni. Bonus itaque clavus
romani imperii qui totum regit orbem. ac vestit principum frontem. ut sint predi-
catores qui persecutores esse consueverunt. Recte in capite clavus. ut ubi sensus est. ibi
presidium. In vertice corona. in manibus fides habena. Corona de cruce. ut fides lu-
ceat. Habena quoque de cruce ut potestas regat. sitque iusta moderatio. non iniusta
preceptio. Habeant hoc etiam principes christi liberalitate sibi concessum ut ad imitationem
domini dicatur de imperatore romano. de lapide pretioso. Ex illo congratulatur ecclesia. eru-
bescit iudeus. Non solum erubescit sed etiam torquetur. quod ipse sit auctor confusionis sue.
Dum insultat christo confessus est eum regem. dum regem iudeorum appellavit. sacrilegum suum
qui non credidit confitetur. Ecce inquiunt et crucifiximus ihesum. ut christiani et post mortem resur-
gant. et mortui regnent. Hos crucifiximus quem reges adorant. quem non ado-
ramus ipsi adorant. Ecce et clavus in honore est. et quem ad mortem impressimus.
remedium salutis est. atque invisibili quadam potestate demones torquet. Putaba-
mus nos vicisse. sed victos fatemur. Iterum christus resurrexit. et resurrexisse eum princi-
pes agnoverunt. Iterum vivit qui non videtur. Hec maior nobis contentio nunc pugna no-
bis vehementior adversus eum cui regna famulantur. cui servit potestas. illius est
contempsimus. Quomodo regibus resistimus. ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant.
et fotiniani divinitatem eius negant. Clavum crucis eius diademati suo preferunt
imperatores et arriani potestatem eius imminuunt. Sed quero quare sanctum super frenum. non ut